

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Epistolam Iesv Christi Ad Angelvm Ecclesiae Ephesinae,  
Apoc. II, 1-7. Exponit**

**Kümmelmann, Matthias Michael**

**Iena, 1761**

**VD18 12968560**

## Abschnitt

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

VIRI  
ADMODVM ET PLVRIMVM REVERENDI,  
CONSERVI ET FRATRES AMANTISSIMI,



Nullus dubito, Vos, quas mecum it bonus noster  
saluator, vias mirari. Virum Summe Reueren-  
dum *Dominum CHRISTOPHORVM ANTO-  
NIVM FRIDERICI*, quondam *Querfurthensis*,  
*iam Friburgensis dioeceseos Superintendentem*,  
Ephorum nostrum vigilantissimum et, ob mul-  
ta et eximia dona et merita, nobis aestumatis-  
simum, nobis eripuit. Damnum! quod par sibi vix habet. Me  
nil minus, quam hoc meditantem, elegit, vt viri huius optimi  
locum et sedem occuparem: Me, aeternitati, multis aliis, pro-  
pinquiorem: Me tandem, qui vltimam et omnium optimam  
eamque solam promotionem, coelestem puto, animo voluebam.  
O bone Deus! quain mire regis ecclesiam tuam! Multa dixerim,  
nisi vererer, ne laedam τὸ βάθος πλάτος καὶ τῆς στοφίας. Me  
decet, silere, et, velatis oculis, sequi, quoisque tandem me du-  
xeris. Tui est, iubere, mei autem, obsequi. Mihi quidem pa-  
rum est virum, sed Tibi multum. Tui est dare, quodcunque ad  
tanti momenti munus necessarium est, et mei, petere et acce-  
pere. Noli, per Christum contendere, noli obliuisci, quem mi-  
fisti, serui tui. Praeter spem me vocasti; sed optima maximaque  
spe venio, Te mihi semper ad futurum esse, vt voluntas tua bona,  
accepta et perfecta fiat. Quo certius autem, fratres dilectissimi!  
est, vocationem meam ad superintendentis prouinciam, ortum  
suum, regimini coeli, mere et tantum debere, eo magis mihi  
persuasum est, Vos et quidem omnes, me, vt vestrum Inspecto-  
rem, lubentissime esse recepturos. Dilexi Vos, vt nō stis, iam  
tum, quum dignitate et munere Vobis par eram, sed et nunc, per  
gratiam diuinam, diligam Vos eo flagrantius, quo arctius est vin-  
culum, quo ego Vobis iunctus sum, et Vos mihi. Ha-  
bebi-



bebitis me, ad quaevis officiorum genera, pro rei aequitate et iustitia, paratissimum, speciatim vero ad intercessionem, coram gratiae throno, quotidianam, quemadmodum et vestram mihi indubitanter promitto. Notum est Vobis, charissimi, nos Euangelii praecones, a Domino et Magistro nostro Iesu Christo, aeternum deuenerando, eo esse electos et constitutos, ut nullam operam non in eo collocemus, vt faciamus καρπὸν ὁς μένει, Ioh. XV, 16. Intellegitis itaque, fieri non posse, vt ei, qui nos vocavit, probemur, nisi commercium nostrum omne ita instituamus, ut boni et manentes fructus inde prouenire possint; fructus nimirum generatim, spiritus et speciatim, poenitentiae, fidei, amoris, munieris; et quidem multi atque aeterni. Sunto nobis hi meta palmaria, ad quam, quidquid vñquam vel animo voluimus, vel ore loquimur, vel opere facimus, addo, et quod calamo exaramus, tanquam sagittas emittere debemus. Absint a nobis longissime omnia ea, quae ab hoc constiruto fine vel parum, vel prorsus aliena sunt. Poeniteat nos eius diei et horae, quibus huius scopi haud fuerimus memores! Hac re motus, non potui non, quin literas meas, vt aiunt, salutatorias, meae vestraeque excitationi, ad fructus manentes ferendos, dicarem. Sed fini huic feliciter adsequendo mihi nil magis inseruire videtur, quam breuis consideratio Epistole Domini nostri Iesu Christi, ad Angelum ecclesiae, quae Ephesi colligebatur, scriptae. Heic, vt ordine procedamus, primum mandatum scribendi, deinde inscriptionem, porro argumentum et tandem conclusionem eiusdem pensitabimus.

### I.

*Mandatum scribendae epistolae extat apoc. II, v. 1. et duo in se comprehendit, videlicet et Eum, ad quem scriptam volebat dominus, et Eum, per quem scribenda erat. Ille fuit Minister Euangelii Ephesinus. Sic et qui aliis viam salutis monstrant, monitis salutaribus indigent, et scriptas cohortationes grata recipere mente tenentur. Vtrum Timotheus, an aliis magni nominis vir fuerit, ex historia ecclesiastica certo non constat. Sufficiat nobis scire, Iesum Christum ipsum eum, pro suo Angelo, seu Nuncio, reputasse. Pudeat derisores, vñquam illusile ministerio verbi! probe ponderent, sibi cum Nunciis Principis Regum rem*

rem esse c. I, 5. Pudeat et Ministros verbi, Nunciaturam, vt ita loquar, suam adeo negligere, vt curis se miscentes terrenis, summi et tremendi muneris, nisi in totum, tamen in tantum, obliuiscantur. Studeant esse imitatores Angelorum bonorum, et sanctitate et animi promptitudine, ad faciendum id, quod officii ratio flagitat.

## II.

Ecclesia, cuius antistes, vt videtur, primarius erat, testante Luca, per ministerium Pauli, Christo collecta fuit Ephesi, vt est videre act. XXIX, 19. seq. c. XIX, 17. 18. Ephesus, vrbs Ioniae satis ampla, in Asia minori, idololatriae abominandae plenissima erat. Ibi Diana, Iouis filia, ex Latona, in Delo genita, Apollinis soror, venationis et syluarum, apud paganos, Dea in templo splendidissimo et famigeratissimo colebatur. O miram Euangelii δύναμιν! cui, quidquid in orbe est erroris, praeiudicii, praeceptae opinionis, pessimae consuetudinis, malitiae, omnium vitiorum generis, quid quod omnis generis potentiae satanicae, cedere oportet! Nil plane, nihil omnes inferorum portae contra Euangelii rite praedicati vim atque virtutem praeualent! Agite fratres! agite! discite mecum introspicere in intima Euangelii mysteria, expetite mecum nobis spiritum Christi, profundissimas Euangelii diuitias scrutantem! Spiritum, inquam, σόμα κορποφίας largissime dantem! Date mecum operam, vt, quodcumque virtutis et efficacie Euangelium habet, in nobis ipsis experiamur et sentiamus. Agite demum! vt vocationis nostrae bene memores, Euangelii praedicationem recte et ita faciamus, vt per vocem legis, corda auditorum terreantur et frangantur, Euangelii vero subleuentur, erigantur et tandem suo tempore sanentur. Ita certissime fiet, vt in ecclesiis nostris, licet ephesinae abominationes in iis sumnum occuparent imperium, nisi multum, tamen aliquid fructus producere possimus. Vox Domini, vox Euangelii, de Christo, dissindet, euelletque Cedros Libani, i.e. conuertet eos, qui, ad seram vsque aetatem, peccatorum et satanae mancipia fuere, vinci vndiquaque tenerarum vinculis. Bono estote animo! Bonus Dominus noster, nobiscum operabitur, et confirmabit opellas nostras, in faciendo munere, per eximios effectus.

A 3

III.



## III.

Scriptio huius epistolae iniuncta est *Iohanni apostolo*, qua  
prae ceteris, Christus dum viueret, familiariter vsus erat, et qui  
Christum tenerrimo prosequutus est amore, et ab ipso, paterne  
et materne redamatus fuit. Videmus itaque, basin et funda-  
mentum benedictae officii gratiae administrationis.

Ante omnia nos oportet, Christum nosse, viua et salutari  
cognitione, in Christum vera et diuina fide credere, eumque  
ex animo amare. Deinde tenemur, in continua consuetudine,  
eum Christo esse, ita, vt, in suo verbo nostrisque precibus,  
ipse nobiscum, nos vero cum ipso, loquamur et conuersemur,  
tandemque, vt, per suum spiritum eiusque testimonium, de  
eius in nos voluntate, benevolentia, fauore et amore, apud  
animum nostrum, certi vel iam sumus, vel, quoad fieri potest,  
citius fiamus. O facilem prouinciam! ad quam, ex his fonti-  
bus, aquam virtutis et roboris haurire jubemur.

Scriptor, Iohannes, nuncupatur *Theologus nat' εζοχην*, cum,  
quod eius notitia, de Deo diuinaque Christi natura, notitiam  
fuerum conseruorum superabat, tum, quod de veritate diuinae  
in Christo naturae agebat et scribebat omnium excellentissime.  
Sit autem hoc vt sit, tamen hoc certum vt quod certissimum  
est, omnes Euangelii ministros maxime esse obstrictos, vt, in co-  
gnitione Dei et Christi, et theologiae, quoad omnes partes,  
quotidianos et per omnem vitam, vberiores faciant progressus.  
Et cum δέλος Iesu Christi appellatur Iohannes, facile est iudicatu,  
quanta et quam multa monita pastoralia, haec vnica et dissylla-  
ba vox nobis suppeditet! Serui, non Domini sumus, fratres!  
non ad otium, sed ad seruitium vocati, μὴ ὡς πατακυριεύοντες τῶν  
πληρῶν, αὐτὰς τύποι γνόμενοι τοῦ ποιμνία, I Petri. V,3. Vox serui,  
dum opponitur homini libero, denotat mancipium alicuius,  
Gal. III, 28. Iohannes igitur, et qui cum ipso faciunt, Christo,  
Domino, quanti quanti sunt, se mancipare student, ita, vt  
fractis, ruptisque omnium aliorum vinculis, omnibus, quibus  
pollent viribus, Christo soli, seruire possint, Luc. XVI, 13. O  
felicem seruitutem, quae dulcissima libertas est! O felicissima Iesu  
Christi mancipia, in quibus suauissima ad omne, quod agendum  
est, promptitudo sceptrum tenet! Videris, quantae dignitatis  
sit

sit seruus Domini Dominorum et quantae et quam continuae tutelae certus esse et possit et debeat.

## IV.

Mandatum scriptionis excipit *Inscriptio Epistolae*, quae item ex duobus constat momentis. Alterum est allocutio, *Scribe*, alterum *descriptio* Domini mandantis. Praefert saluator scriptiōnem orali admonitioni, cum, vt infirmitati humanae serui sui Ephesini parceret, vt pote quae non semper aut nunquam capax est, vocis de coelo ferendae, tum, vt demonstraret, sibi suorum seruorum piam scriptionem haud displicere. Confidamus ergo, fratres! toto ex animo, summo nostro Episcopo, qui omne, quod nobis accidere permittit vel iubet, iuxta virium nostrarum modulum dimetiri solet. Scribamus, cum satis aptos et per spiritum Christi, nos excitatos sentimus, aliquid, quod nobis, conseruis, aliisque, commodo et utilitati esse possit, et fugiamus, ceu pestem, scriptionem eamque omnem, quae huic optimo fini contrarietur.

## V.

Progreder ad alterum momentum, videlicet *delineationem* Domini nostri, Iesu Christi. Duo sunt, quae heic de eo praedicantur. Primum, *quod teneat septem stellas in sua dextra, deinde, quod ambulet in medio septem candelabrorum*. Septem stellae, secundum venerabilis Magistri nostri ipsius interpretationem sunt septem Angeli, Nuncii et Doctores totidem Ecclesiarum, in Asia, ad quos Iohannes septem Epistolas exarauit et misit, c. I, 20. vocantur stellae, quoniam Doctores Ecclesiae inter et stellas aliqualis intercedit similitudo. Stellae sunt et videntur in coelo. Serui Dei sunt semper in coelo, cogitationibus, meditationibus, desideriis, votis, precibus, actionibus studiisque omnibus. Horum museum esto coelum, ubi omnes conciones et scriptiones confidere oportet. Stellae sunt opus manuum Dei maxime molis ingentisque magnitudinis. Fideles animarum pastores non fiunt, nec natuitate, nec naturalibus viribus vel intellectus vel voluntatis, nec proprio quoconque marte, at fiunt, per digitum Dei, per spiritum Dei et Christi, operationem. Gloriantur cum Paulo: *Gratia Dei sumus, quidquid sumus. Stellae lucent in coelo.* Illuminati Euangelii Ministri splendent clara et



et iucunda luce, doctrinae sincerioris et vitae sanctioris. Stellae sunt duplicitis generis. Dantur erraticae et fixae. Non prioris, sed posterioris generis sunt veri Doctores verbi. *Sunt generis FIXI.* Possunt quidem errare, errantque interdum actu, sed non scienter, voluntarie et proaeretice, sed inscienter, inuoluntarie et ex infirmitate humana, ipsis, post regenerationem, adhaerente. Ceteroquin vero per omnia et in omnibus, sunt fixi, firmi, constantes, fortes, viriles, ordinis, sibi a Christo praescripti, tenaces. Nulli, quis quis etiam sit, cedunt, nec mundo, nec diabolo, nec carni. Nulla re a veritate, fide, amore, et munera administratione se amoueri et diuelli sinunt. Stellae sunt diuersi, gradu, splendoris. Dantur stellae variae magnitudinis. Sic quoque Ecclesiae Doctores diuersis condecorati sunt donis et ministerii et sanctitatis. Sed ut stellae omnes, in vnum, gloriam Creatoris prae dicant, aequa ac hominibus luce sua inseruiunt, sine vlla alterius ad alteram indignatione, offensione et inuidia, ita omnes verbi diuini pii praecones gloriam Christi et hominum salutem promouere satagunt, ignari inuidiae, inter se, et vacantes offensione, semper gaudentes inuicem, de conseruorum suorum prae rogatiuis, v. gr. dignitate, nominis claritate, donis et ministerii fructibus. En monitorum pastoralium cumulum ingentem! Sed ubi, quaeso, dixeris, solatium? O nos millies fortunatos! in quorum refocillationem, adiicitur; *qui tenet septem stellas in sua dextra.* Quot vocabula, tot solamina. Per dextram Christi exaltati usum plenarium omnipotentiae diuinae, per vniuem personalem, humanae suae naturae, communicatum, et, post ascensionem in coelos, glorioissimo modo et aeternum se exferentem intelligi, fugit Theologorum neminem. Itaque nos, fratres! a seruitiis sumus ei, qui pollet potentia diuina et immensa, infinita et aeterna. Seruiamus ergo ei nullo tempore non, in re omni, cum timore et tremore, non minus vero cum maxima fidei παρηστασια. Si ipse pro nobis, quis, quaeso, contra nos? Hac in sua dextra nos tenet. Non dicit Dominus: Simpliciter *sua dextra.* Hoc modo omnes creaturas tenet, sustentat et conseruat. Quamuis et hoc sufficeret, mirifice leuare animos nostros, in angustiis, v. gr. persecutionibus propter Euangelium, periculis, inopia, temptationibus cet. pressos et afflictos.

Verum

\* \* \*

Verum hoc in specie suauissimi solatii fons est, quod particula ē adiecta est, quae certissimos nos facit, de tenerimo paterno et materno Iesu Christi, erga nos, affectu, quo seruos suos, vt parentes, teneram prolem, vt diuites annulos aureos, vt patres familias incendio perterriti, pretiosas res suas, in manu tenent, in manu sua omnipotentissima custodit, ne vnquam, per quempiam a se auellamur, nec vlla vnquam nostrūm, apud se, sit obliuio. Siehe, hier in meinen Händen hab ich dich geschrieben an! Siehe, in meine Hände hab ich dich gezeichnet. Accedit adhuc emphatica et solatii plena vocis *καρτεῖν* significatio, quippe qua iuxta perpetuum in sacris paginis vsum, indicatur, aliquid vi capere, coercere et totis viribus continere, firmiter et arcta manu tenere, fortiter et arcta custodire, studiose obseruare; vide sis Matth.XII, 11. c.IX, 25. c.XXVI, 48. Ex quo concludimus, Christum fideles suos seruos, in necessitatibus et tribulationibus, et vbiunque opus fuerit, e periculis omnibus, vi capturum, hostes depulsurum et suos, totis viribus, firmiter, arcta, fortiter et studiose obseruaturum et custoditurum esse. Ecquid, Amici! est, quod, in hoc rerum statu, nobis nocere possit? dum modo fideles, et fideliter fidentes, eique fidei et manui suae firmiter adhaerentes, coram facie ipsius, reperiamur.

## VI.

Iam ad alterum inscriptionis momentum progredior, quod in eo consistit, *quod Christus ambulet in medio septem candelabrum*. Septem candelabra sunt septem Ecclesiae Asiae minoris, vt patet e cap. I, 20. Aequiparantur autem Ecclesiae candelabris, quod Ecclesiae, sine Christo, luce mundi et sole iustitiae, sicut candelabra, sine candela ardente, tenebrae sunt. Christus est sol Ecclesiae, quae omnem fidei ac vitae spiritualis lucem, ab ipso, recipit. Doctores Ecclesiae sunt stellae, qui constituti sunt, vt suo modo, etiam aliquid lucis suffundant, et doctrina, et vita; iuxta illud Christi: vos estis lumen mundi. Cum tamen stellae haud fulgerent, nisi antea, a bono creatore, luce et facultate lucendi, essent donatae, sequitur, vt quiuis Doctor Ecclesiae, ante superne illuminari debeat, quam, vita et doctrina, auditoribus, vt lux, vt stella, praeire possit. Iam ad Christum ambularem in medio Ecclesiae. Hac voce Christus eo nos adducere vult, vt indubitan-



tanter credamus, se nos suos seruos, Ecclesiasque suas nobis creditas, non solum cingere, circumdare vndiquaque, quemadmodum qui praeest vrbi obseßæ, vbiique est, et tum incolis, tum milibus bonum animum ad strenue et alacriter certandum, inspirat; sed et se in nobis et Ecclesia sua, degere et conuersari, eamque intime, *ἐν μέσῳ*, tam quoad praeter naturalem nobiscum vniōinem, quam gratiae suæ efficacissimam operationem implere, atque spiritu suo sancto eiusque donis coelestibus, sua gratia, amore, solatio donare, eamque souere et vsque ad finem seculi, fortiter et fideliter tueri, ita, vt tota ecclesia aequæ ac singula eius membra nullo vnuquam deficiant bono. Ecce! quam bene sit Ecclesiae, sub Tanto et Optimo Imperatore!

## VII.

Inscriptionem Epistolæ nostræ sequitur *Argumentum ipsum*. Hoc quatuor partes in se continet. Primo *Paracleticam*, deinde *Epanorthoticam*, porro *Paedeuticam*, tandemque *Comminatoriam*. Quod spectat primum ad partem *Paracleticam*, consistit illa in laude, et quidem generatim operum et laboris Doctoris Ephesini, v. 2. *Noui opera tua, ait Saluator.* Vox ἐπανομαία connotat in genere omnia meditata et facta hominis. Haec nouit omniscius Christus, et quidquid scit, seit affectiue et effectiue. Bona opera nouit approbatue et remuneratiue, mala vero detestatiue et punitiue. Orate, fratres, mecum, vt vbiique et in omnibus meditemur et faciamus illud ad Abrahamum: *ego sum Deus sufficientissimus, ambula coram facie mea et sis integer.* Dum tentamur ad malum, cogitemus: Christus nouit et punit; quum vero bonum faciendum erit, macti sumus virtute, cogitantes, Iesus scit, et gratia remunerabitur. *Noui laborem tuum, pergit antistes noster supremus v. 2.* Laborem, non oeconomiae, nec varii generis operæ alienæ intelligi, sed muneris, videt quiuis, qui sequentia consulit. Labori igitur in officio, non otio, non ignaviae, non negligentiae cet. vacandum est. In labore grauiore suscipiendo, inflammatus animus est, hoc solatio: Iesus nouit meas exiguae vires, nouit durum hunc laborem et suppeditabit animum, vt eum perferre et superare possim. Fortiter itaque ad rem! Vita breuis, hora mortis incerta. Ergo festinandum! nilque in crastinum differendum!

## IIX.

## IIX.

Speciatim autem Dominus noster et Praeceptor laudibus extollit Ephesini Pastoris Patientiam v. 2. *Noui patientiam tuam.* Vox ὑπομονῆς etymī postulat τὸ μένειν ὑπὸ, manere sub, scilicet, onere laboris et tribulationis. Id quod stabilitur, dum Christus v. 3. addit: καὶ ὑπομονὴ ἔχεις. Non itaque ad officium implendum sufficit, acerba, dura et minus iucunda semel iterumque perferre, requiritur etiam, vt patientiam semper habeamus. Non esto actus modo nostra patientia, sed habitus et status. Commendatum sit nobis illud: *perfer et obdura.* Vt vero apud nos ita sit, necesse est, vt discamus τὰ βασάναι, portare, sustinere, baiulare, tolerare, sicut gestant columnae omnem aedificii totius mollem, et quomodo Christus crucis suae onus sibi impositum portauit et baiulauit, Ioh XIX, 17. Sed tamen, vt sciamus, quaenam patientia ministrorum verbi, a Christo poscatur, utrum ordinata, an inordinata? addit Magister noster ἀρχιβίβατος: καὶ ὅτι οὐ δύναται νανξ v. 3. Mali, qua mali eorumque malitia, neutiquam sunt tolerandi, multo minus laudandi et imitandi, sed potius redarguendi et, quoad fieri potest, funditus extirpandi. Eum in fine, necessarius est pastoralis et episcopalis πειρασμός, et talis scrutatio et inquisitio, in primos mali fontes, usque dum eos detegamus. Inde est, quod porro adiicitur: καὶ ἐπειράσω τὰς φάσκουντας ἦντος ἀποστολὰς, καὶ γὰρ εἰσὶ, καὶ ἐπειράσαντες φευδεῖς v. 2. Namque iam tum non defuerunt, qui Apostolos, seu nuncios Iesu Christi, se esse existimabant dicebantque missos, in καταρτισμὸν Ecclesiae Ephesinae. Ecquid noster Ephesinus? an placita eorum continuo ut diuina iudicauit, aut mores, ut verbo diuino conformati, statuit, aut, ut genuinos Domini Apostolos, recepit, cumque iis se se coniunxit? Minime gentium! Erat illis o πειράσμων. Perforabat et explorabat doctrinae et vitae illorum intima. Studio omni, operaque omni, eo enitebatur, ut perspicaret, vera an gauderent vocatione, nec ne? Tandem mendaces, falsos, κανγάζ illos esse intelligebat, a quo tempore tantum absuit, ut in sua Ecclesia eos ulterius toleraret, ut illis potius viribus omnibus resistret. Ex quibus omnibus patet, Episcopi et pastoris esse, ut in malum doctrinae aequē inquirat, ac in malum vitae, utriusque autem omnibus ex viribus resistat, clamantibus licet seductis et



seducentibus: bellum, scilicet, seruum Christi! qui ne micam  
 quidem amoris habet, ne micam quidem patientiae et tolerantiae.  
 O hominem, Iesu Christi mentem neutquam fouentem! Nihil  
 est, fratres! quod hoc moremur. Vitia sane in fide et vita, in  
 doctrinis et moribus, Ephesinus noster haud tolerauit, nedum  
 approbavit, vel laudauit, multo magis illa vituperauit, nil mo-  
 rans malorum peruersa, de se, iudicia. Imitemur, per diuinam  
 gratiam, huius boni viri impatientiam laude dignam, erga sci-  
 ter et volenter peccantes. Vbi vero ordinata patientia et Chri-  
 sto probata opus fuerit, tunc praestabimus nos viros. Sed quae-  
 nam, dices, haec est? Audiamus Christum, pergentem: *καὶ ἐβά-  
 σαντος καὶ διὰ τὸ ὄνομα μὲν οὐκοπίανας καὶ δὲ κέρυκας* v. 3. Oneri  
 laborum et suscipiendo, et, vsque ad extremum vitae halitum,  
 perferendo, vt patientes fiamus, omnis est nauanda opera, omnis  
 mouendus lapis, et hoc quidem propter nomen Domini nostri  
 Iesu Christi. Non honos apud homines, non gloria, non stu-  
 dium inclarescendi, non turpis lucri cupiditas, et quae huius ge-  
 neris sunt; sed sola et vnica Domini nostri Iesu Christi, eiusque  
 pretiosissimi meriti, glorificatio nos impellat et moueat, vt per-  
 secutiones, tribulationes, resistentiam improborum malitiosam  
 perferamus. Nunquam a nobis nobismet ipsis permittendum  
 est, vt laborem spartae nobis demandatae vel negligamus, vel  
 plane dimittamus, ideo, quia passiones nunquam non sequuntur;  
 multo minus ab omni bono proposito deiiciamur. Absit! po-  
 tius probe nobis ponderandum est, illud Christi: qui me se-  
 quipit, recipiat crucem suam! bene pensitanda gloria, quae patien-  
 tiā Angeli Ephesini sequuta est. Vae vobis, si omnes homines  
 καλῶς ὑμᾶς ἔπιπωσι, Luc. VI, 26. Quodsi vere acciderit, vt, suo tem-  
 pore, defatigemur et lassos nos sentiamus, tum nobiscum neutri-  
 quam contenti esse debemus, sed properandum et festinandum  
 est nobis vt, precibus, verbo et fide denuo refocillati, et viribus  
 nouis recreati, denuo et laboremus et patiamur.

## X.

Pensata parte paracletica Epistolae ad Angelum Ephesi, ac-  
 cedamus ad *Epanorthoticam*. De hac agit v. 4. *ἄλλ' ἐχω πατεῖσθαι*.  
 Plenarie mihi non probaris. Est omnino in te aliquid, quod  
*הִנֵּה בְּעָבָרוּ לֹא יַאמְןֶנְהוּ וְבִלְתְּאָכְרֶנָּה*

\* \* \*

**וּבְמַלְאָכִיו יִשְׁכַּן תְּהִלָּה** Iob. c. IV, 18. Ephesinus Episcopus erat bonus omnino seruus Domini nostri Iesu Christi. Erat, iuxta Domini ipsius testimonium, Angelus Ecclesiae laboriosus, negotiosus, vigilans atque patiens; sed tamen, quidquid etiam sit, aliquid est, quod contra illum habet. Exhorrescite mecum fratres! et concludatis, peto, ita: Si Christus aliquid habet contra virum, quem ipsem pro suo Angelo reputat, virum officii plenissimum, laboriosum, patientem et plane non defatigandum, quantum quaeso, et quotuplex illud erit, quod in nobis ei haud arriserit, quod improbet et abhorreat? Etenim quanti etiam simus, tamen Ephesino non aequales erimus, ne similes quideam. Vbicunque itaque degenerimus et quidquid fecerimus, iugiter hoc mente agitemus: quam multa Dominus Tuus contra Te habebit? et oremus: O bone Christe! Fac, vt sciam, quid contra me habeas, vt, per Tuam gratiam, corrigenda corrigam, et, quocunque in me Tibi displicuerit, radicitus tollam. Postea etiam et hoc nobis imprimainus firmiter, in uno quoque utrū excellentium seruorum Christi, aliquid esse posse, quod correctionem mereatur; ne nullus nostrum castigationem fraternalm, multo minus coelestis patris taediose effugiat. Iam audiamus porro, quid Christus contra seruum suum Ephesinum habeat? ἔτι τὸν, ait Magister noster, ἀγάπην σὺ τὸν πρώτην ἀφῆς v.4. Ephesinus aliquid dimiserat, reliquerat, remiserat. Ecquid, quaeso, hoc erit? Est *amor primus*. Amor considerari potest mox vt affectus et actus, mox vt habitus et status, mox vt gradus. Iam quaeritur: quo sensu Angelus Ephesinus reliquerit primum amorem? Sunt, qui putant, ipsum affectum et actum, alii, habitum et statum amoris reliquisse. His ego non subscribo. Bonus seruus amabat Dominum suum, faciebat post vt antea, pro gloria nominis Christi, laborabat, perferebat, patiebatur, etc. Enactum, affectum, habitum et statum amoris in Christum. Reliquum igitur, de quo conqueritur Christus, fuit *remissio gradus*, seu decrementum quoddam amoris et quidem amoris laboriosi. Hoc inde euincit, quod Christus v. 5. addit: καὶ τὰ πρώτα ἐργα ποίησον. Existimo itaque, Angelum hunc, in primordiis prouinciae suae, multo maiora et eximiora, paulo vel multo post vero, pauciora et viliora edidisse specimina amoris sui erga Dominum



nostrum Iesum Christum, ita, vt eo gradu et numero et ea *εἰλι-  
ηπισία*, non vt olim, laborauerit, malum baiulauerit, nec in ma-  
la doctrinae et morum inquisuerit. An putatis, fratres, hanc  
epanorthosin ad nos haud pertinere? Sane hoc de mea tenuitate  
non iudico! Et videmini vos mihi idem mecum sentire. Non-  
ne vos memores estis mecum illius ferooris et zeli, quibus inflam-  
mati, munus nostrum adgressi sumus? quam lubentes et qua men-  
tis promptitudine, omnes spartae partes, pro viribus, explore  
studuerimus, et speciatim, quod palmarium in fideli animarum  
pastore est, quanam animi laetitia curae gregis specialinos conse-  
crauerimus? et quam viectu faciles nobis fuerint tribulationes o-  
mes, quae diligentem muneris sacri administrationem nunquam  
non sequi solent? Sed vbinam iamiam ille feroor, ille zelus, ille  
ardor, illa industria, illud studium, illaque tandem patientia?  
Nonne igitur, conserui amantissimi, in nobis multum esse potest,  
quod ei, qui nos vocavit, taedio est. Sed o nos felices! quos  
Christus, in conseruo nostro Ephesino, tam mansuete reprehendit,  
nos, non vt infideles deferendo, sed paterne instruendo,  
ita, vt, praeter poenitentiam et, vt prima faciamus opera, am-  
plius nil a nobis postulet. Hoc melle dulcius solatium nos sua-  
uiter allicit, ad Christum, et efficaciter mouet, vt negligentiam  
nostram deprecemur et officii finem denuo et alacrius anhelemus.

## X.

Iam sequitur pars Epistolae tertia, nimirum *Paedeutica*. Ma-  
nu dicit, vt pater familias sobolem, in viam, seruum suum, qua  
castigationem duriorem euitare possit, videlicet in semitam, et  
*poenitentiae*, et *priorum operum*. Audiamus Christum, v. 5. ita  
dictantem: *μνημόνευε δύν' κόθεν ἐπέπτωκας, ναὶ μετανόοντος, ναὶ πρώτα ἔργα πόιοντος.* Tria sunt, quae ab Angelo Ephesino decre-  
scente exiguntur. Primum, vt lapsum suum probe ponderare  
velit. Iniungitur ei, vt confiteatur, se lapsum passum esse. Fie-  
ri vtique potest, vt doctores Ecclesiae, et doctrina et sanctitate  
et nominis claritate maxime conspicui, in peccata ruant. Ergo  
vigilandum nobis est, et occasio omnis, qua tentari possumus, fol-  
licite euitanda. Porro omnis praecipitantia in iudicando, fu-  
gienda, qua omnes, etiam fidelissimos Christi seruos, criminis hy-  
pocriseos accusamus, simulac, quod aliquid humani passi sint, com-  
peri-

perimus. Neutquam Christus seruum suum, ideo, quod cecidit, in crimen illud vocat; condecorat illum potius nomine et gloria boni pastoris; sed hoc tantummodo adfirmat: in hac re seruum suum non bene egisse. Ut vero lapsum suum recte ponderaret, commendat ei Iesus τὸ μηνυόεντα; vultque ut recordetur tum illius felicissimi status, quo erat ζέων πνεύματι, et quem sensim paulatimque deferuerat, tum earum rerum, quibus simul cum priori gratia priuatus sit, tum status sui praesentis, priori tam valde dissimilis. Geramus, amici! morem institutioni coelesti! Commendata et quam commendatissima esto nobis haec Magistri nostri iussa recordatio! certe insigni illa nobis erit et aeternae utilitati. Fiet inde, ut spero, ut et amissam gratiam, et amissionis causam noscamus, rubore et pudore suffundamur et, quod reliquum temporis est, eam feliciter custodiamus. Nec dubium erit, fore, ut diligentiam et studium omne in eo collocemus, ut pristinae et magis felicis animi conditionis iterum compotes fiamus. Deinde Christus bono suo seruo commendat poenitentiam (*μετανόησον*), requirens, ut sapiat post factum, seu, quod perinde est, ut cognoscat, se peccasse, de eo serio doleat, illud odio habeat, ingenue confiteatur, remissionem peccati, fide in Christum, quaerat et causam mali, pro futuro, deuitet. Gratia aeterna et laudes perennes sint Domino nostro Iesu Christo, qui nobiscum non agit secundum peccata; sed iuxta diuitias benignitatis suae, ita, ut recipiat a peccatoribus poenitentiam. Euge! cuinam nostrum haec breuissima via, recuperandae gratiae displiceret? Tandem Episcopus eo deducitur, ut faciat τὰ πεωτα ἔργα, seu, ut praestet, in faciendo bono et officiis sibi mandatis, priorem vigilantiam, alacritatem, fortitudinem, promptitudinem et indefessam curam. Malum quidem est, deiici virtute et robore spirituali, sed ne sic quidem male, sed optime agit, praeco Euangelii, quum, quod fecit damnum, sarcire, ut par est, satagit. Namque melius est restituere ablatum, quam tenere. Gloria Christo! quod et posteriora et meliora nostra opera praecedentibus peioribus praeferre eaque aequi bonique consulere velit. Bonum sane habemus Dominum! qui semper nouissima nostra bona sibi habebit accepta. Enitamur modo eo, ut quilibet nostrum, hunc diem vel hunc, quem hodie in se recipit, laborem, pro ultimo iudicet,

vt



ut in extrema mortis hora, iuxta ipsius sententiam, tandem sumus primi.

## XI.

Claudit chorum pars quarta, videlicet *commimatoria*. De hac v. 5. ita: *εἰ δὲ μὴ ἔρχομαι σοι ταχὺ οὐκ οὐκέτω σὺν λυχνίᾳ σὺ εἰ τῷ τόπῳ ἀντῆς, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς*. Insimul noua laus et honos boni serui additur v. 6. huius tenoris: *ἀλλὰ τότο ἔχεις, διὰ μισθίου τὰ ἔργα τῶν νικολαϊτῶν, ἀ καγώ μισθόν*. Nucleus et virtus, succusque huius comminationis sequentes veritates in se continent. I. *Iesus Christus suos neutquam dolore prius afficit, quam cum omni spe emendationis fallitur. εἰ δὲ μὴ*. Expecto tuam, dicit, poenitentiam, quaero tua opera priora, polliceor mihi de te, te, de quo cederis, recordaturum esse, et hoc tamdiu, quamdiu spei ratio adest, quae cum defuerit, pro pedissequa, habebit poenam. Vide itaque, quid tibi libuerit. Reuocate ad animum, charissimi fratres, *τὸν πλάγιον τῆς χρηστότητος, καὶ τῆς αὐοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας* Domini nostri Iesu Christi, Confidite Domino! Adhuc, etiam haec ipsa dies est mora gratiae, qua, per poenitentiam et veram animi et vitae emendationem perniciem nostram effugere possumus. Vtimum mecum tempore! Discite mecum, in nostram, in gregis inque totius ecclesiae euangelicae conseruacionem et salutem, id, quod Iehouae tam volupe est, nimirum, ut unus pro omnibus, et omnes pro uno simus *אִישׁ צָדִיק רַגְלֵי יְהוָה בְּפֶןְיוֹ בְּעֵד הָאָרֶץ* Ezech. XXII, 30. Minatur omnino iustus iudex nobis et vniuersae Ecclesiae, his nostris periculosissimis et funestissimis temporibus, castigationes et plagas, praesentibus maiores. Hoc vnicum est, quod animum suum φιλανθρωπίας plenissimum, in hunc usque diem, ab executione continet, videlicet spes, quam de nostra concipit conuersione, et plenitudo sui in nos paterni amoris. II. *Vbi non poenitentia, ibi aduentus Christi ad iudicium*. Venit saluator in auxilium suorum, dum iniuste affliguntur; ast et in, ni exitium, tamen temptationem eorum venit, quum ad bonam frugem se redigi haud patiuntur. En heic exemplum posterioris aduentus. Caeamus nobis sollicite et premature ab hoc! Hodie, cum vocem ipsius audimus, nullo modo animum obfirmemus. III. *Multa mala obueniunt Ecclesiis, propter somnolentiam Doctorum Ecclesiarum*. Per τὴν λυχνίαν, seu candela-

labrum, Ecclesiam Ephesinam intelligi, ex ipsius Christi interpretatione c. I, v. 20. constat. Iam queritur, quid Dominus per motionem candelabri ex suo loco, indicare velit? Sane aliud nihil, quam vel varios et exitiosos motus plebis, doctorum et terae, cuiusmodi legi possunt, act. XXI, 30. c. XXIV, 5. c. VI, 14. vel extirpationem aedium sacrarum, per ignem et profanationem, expulsionem Doctorum et auditorum in exilium, prohibitionem cultus publici, persecutionem recte credentium, et annihilationem omnium sacrorum. Vbinam est, nostro aeuo et multis seculis retro, Ecclesia Ephesina? nonne dimotum est candelabrum de suo loco? nonne vniuersa doctrina de Christo, per errorem Muhammedis amota, nonne cultus publicus christianus, in idololatriam Turcicam conuersus, nonne Doctores Ecclesiae christianae et nuncii Christi ad hunc vsque diem relegati sunt? Videmus igitur, fratres, comminationes Domini nostri Iesu Christi neutram fuisse irritas. Omnino praedictionem minacem excepit impletio, in clarissimum argumentum, pro diuina omniscientia diuini nostri Redemptoris. Sed vnde haec horribilis Ecclesiae desolatio? a somnolentia Doctorum, a securitate carnali auditorum, et ab ingratitudine membrorum istius Ecclesiae. Felices! quum fecerint nos aliena pericula cautos. Agite ergo, dilectissimi! vigilemus, oremus, resipiscamus! Dominus ante fores! Iudex ante portas! IV. *Etiam in momento perniciei proximo adhuc locus resipientiae est.* Certissimum est, Christum non frustra minis suis terribilibus, adiecissem conditionem: *nisi respueris*, quasi dixerit: adhuc in tuo arbitrio est, quid faciam. Celeriter veniam et euer-tam tuam Ecclesiam. Quodsi poenitentiam egeritis, parcam, si minus, perdam vos. Vtinam poenitentiam ageretis! hanc si non egeritis, interitus adest. Non delector plagiis mortalium. O si resipiscerent! Sane adhuc hodie abstinerem ab eo, quod impoenitentia hominum coactus, in demonstrationem iustitiae meae, decreui. V. *Si quid honorificum restet, illud suauissimus Saluator seruis suis non derogat.* Verebatur, vt humane loquar, amantis-simus noster Archiepiscopus, ne nuncius suus Ephesus hanc terribilem comminationem tolerare haud posset, vt potius omnem spem amitteret et desperationi exitiosae sese totum daret. Hac de re continuo solatia minis suis miscet, dicendo: sed hoc ha-

C

bes



bes, quod opera Nicolitarum odisti, quae et ego odi. Vtrum Nicolitiae hi nomen suum ducant a Nicolao, Diacono Hierosolymitano, vel ab alio huius nominis viro, an a doctrina et operibus suis carnalibus, quibus omnes homines vincebant et nihilominus se saluari arbitrabantur, in hoc philologi sacri non conueniunt. Quidquid etiam huius rei sit, profecto hoc in aprico est, et doctrinam et vitam illorum hominum fuisse abominandam, turpem et castissimo Dei Filio detestabilem v. 15. Hanc turpium mortaliū doctrinam, haec illorum opera obscoena odio habebat Ephesinus noster, et per hoc odium, sua animi sensa, sensis Christi sanctissimi conformia, demonstrabat. Felix! cui tam bonum et verax testimonium de coelo obtingit, se odisse impuritatem doctrinae et operum, addo, verborum et corporis compositionis. Felix! qui cum impuris non init familiaritatem. Conversatio mala corrumpt bonos mores. Sunto verbi diuini Ministri, nullo tempore non et quavis occasione hostes iurati omnis spurcitiei, vultu, verbo et opere impuris et spureis stomachando; studeamus procul abesse, ab omni falsa doctrina, ab omni opere impuro, ab omnibus sceleribus, vitiis ab omnique malitia. Iesus Christus oculis suis, qui instar flammæ ignis sunt, omnia videt, auribus suis omnia audit, notat et suo tempore quaerit. Absit a nobis, laedere sanctissimos oculos castissimæque aures Iehovae, et malefactorum omnium serio nos poeniteat!

## XII.

Et sic tandem ad conclusionem Epistolæ nostræ deuenio. Haec aliquid postulat et aliquid promittit. Christus duo postulat, alterum ut, *qui aures habet, audiat*, alterum, *ut cuilibet curae sit, ut vincat*. Dum Salomo asserit: aurem audientem creat Dominus, indicat, dari homines, qui aures habent, et non audiunt, et quidem in sensu physico et morali; sensu non priori, sed posteriori vult Christus, ut Pastor Ephesinus et eius Ecclesia, audiant, niunirum ita, *ut auditam et lectam hanc Epistolam menii et cordi commendarent, eam probe considerando, toties quoties repetendo et, quibus pollerent viribus, obsequendo*. Fundamus preces ad Christianm indefinenter, ut in nobis nostrisque Ecclesiis, huius generis aures creare velit. Nihil nos oportet scire, quod non vel animo sentire, seu experiri, vel opere et facto, quod sciamus, signi-

significare vellemus. Et hoc inculcandum etiam est nos audientibus. Quid iuuat omne scire et audire, nisi etiam experimentaliter, si ita loqui fas est, sciamus, vel audiamus. Christus eos praedicat beatos, qui, quod sciunt, faciunt. Et diuus Paulus eos ~~βελυκτούς~~ iudicat, qui ore confitentur, se scire Deum, sed idem illud negant opere, Tit. I. v. 16. Cum recta et obsequiosa auditione, secundum Christi mandatum, coniungenda est *victoria*, seu studium vincendi mali. *Τῷ νιᾶτι*, pergit Christus v. 7. Victoria omnis prae-supponit et hostes et certamina. Vincere debebat Angelus Ephesi moraliter et spiritualiter, ergo et de hostibus eiusdem generis sermo est. Satanas, carnales homines et caro, etiam post regenerationem in piis pastori-bus residua, et haec prae ceteris, sunt hostes, quibuscum ipsis nunquam non bellum gerendum est. O magnum numerum, o insignem potentiam hostium, vndiquaque et ubique, nos miseros circumdantium! oportet itaque, ut, ubiunque fuerimus et quidquid boni facere studuerimus, semper vigile-mus et oremus, ne forte subito ac praeter mentem ab illis lacerari et animo-deiecti, fugae nos demus, in ignominiam Ducis nostri Iesu Christi, et in no-stram perniciem. Nuncio Ephesino speciatim res erat, cum decremento vi-rium interni sui hominis, cum lassitudine, tum circa ministerium verbi, tum circa vitae sanctae exercitium. Habet etenim quisque seruorum Christi suum sibi speciatim aduersantem diabolum, quocum ad finem vitae usque dimicare oportet. Alia corporis et animi dispositio, educatio, consuetudo, conuersatio et status conditio, alios dant hostes, aliosque eorum insultus. Quam consul-tum itaque est, ut unusquisque suum probe noscat aduersarium et omnes ac-cessus atque methodos, quibus nobiscum praeliari solet. Heic itaque

*Certandum est; nulli veniunt sine marte triumphi,  
Nec, nisi certanti, nulla corona datur.*

Verum enim vero certant Euangeli Minstri, non armis carnalibus, sed spiritualibus, *τῷ πνεύματι τῷ Θεῷ*, generatim et speciatim descripta ad Ephes. c. VI. ante omnia precibus, lacrymis, verbo Dei, patientia et fide in san-guinem sospitatoris nostri, contra hostis impetus sese munientes. *Vicerunt  
diabolum et satanam per sanguinem agni*, apoc. XII, II. Quodsi certamen fuerit forte et continuum, sequetur victoria certissime. Hostes repelluntur, disperguntur, fugantur, adipiscimur praedam, praemia, honorem et glo-riam; celebramus triumphos, coronatis capitibus, et hostibus pessundatis.

### XIII.

Praemia! dicitis? Ita est. Intueamur promissionem Iesu Christi, An-gelo suo Ephesino, eiusque Ecclesiae datam, hisce verbis: *δῶς ἀντὸν φρεγῆν,* *in τῷ ζύδῳ τῆς Γαῶς, ὁ Ιησοῦς εἰς μίσθιον τοῦ παραδίσου τῷ Θεῷ* v. 7. Quot verba, tot praemia, tot solatia, tot rationes, ad fideliter satisfaciendum muneri, ad fortiter cum hostibus, et ad reportatam victoram usque dimicandum. *Dabo*, ait Christus. Date, suavissimi fratres! mecum, duci nostro omnia, certi, no-bis datum iri ea et quidem omnia, quae optamus, et quibus nobis' opus est. Si dederitis multum, multum etiam dabitur vobis. Videtur mihi Ephesinus



episcopus iacturam virtutis et roboris spiritualis passus, propter abundantiam deliciarum corporalium, in urbe Ephesi; quoniam optimus saluator ei aliam et perenniorem et sanctiorem comeditionem promittit, quasi dicere: si tu abusum oblectamentorum terrestrium Ephesi devitaueris, nec per illum amplius infirmari et debilitari continuaueris, insuperque porro voluptates Nicolitarum, ut adhuc, spreueris; ecce! mensa deliciarum castarum plenissima et alia et coelestis parata tibi erit. Valedicamus ergo, mundanis et impuris voluptatibus! consulamus aequi bonique viles nostras mensas! Relinquamus Nicolairis sua nicolaitana! Expectat nos laetius conuiuum. Paratae sunt pro nobis deliciae sanctiores et perenniores. Sed ubi, dixerit forsitan quis? Sic respondet optimus seruator: *εἰ μέογ τῷ παραδίσῳ τῷ Θεῷ* v. 7.

Non inquirimus iam in variorum interpretum varias de Paradiso sententias, an videlicet sit vox persica, vel armenica, an et quae beatioris vitae pars et regio per eam significetur? Sufficit nobis nosse, paradisum esse horum et locum coeli beatorum iucundissimum, pristini paradisi, habitaculi protoplastorum, antitypum, in quem et latro poenitens, et Paulus Apostolus euecti atque rapti sunt, Luc. XXIII, 43. II Cor. XII, 4. et in quem introdacentur et omnes, qui voluptates carnales per fidem in Christum vincunt, et eo se rapi haud sinunt, ut, eum iis gaudia coelestia commutare velint. Valeant igitur gaudia temporalia! in Paradiso Dei dabuntur aeterna et dulciora, et nunquam usquam interrupta! sed quae nam? *τὸ φαγεῖν εἰς τὸ ζῆσθαι τῆς ζωῆς* v. 7. Paradisus terrestris et coelestis heie inter se comparantur. In illo medio, erant arbores duae, altera cognitionis boni maliae, altera vitae. De illa si protoplasti haud comedissent, per huius fructum et esum, vita ipsorum fuisset aeternum duratura.

Vnusquisque itaque, qui, hac in vita, de arbore voluptatis impurae haud comedenter, eam abnegarit, atque detestatus fuerit, et, nullo inquam modo, eius participem se fieri permiserit, ille certus esse potest, sibi quoniam, in altera vita, licetum fore, comedere de arbore vitae, i. e. iuxta communem sententiam, de Iesu Christo, et victurum esse felicissime sine fine. Heu, fratres! quam sordet nobis tellus, dum ita coelum aspicimus.

## XIV.

Iam finis esto! Sed quo usque tandem raptus sum? ignoscite, quaeſo, meo in vos amori! Saluete mihi millies! multo ante dandae fuissent haec meae ad Vos literae, verum cum causae dilationis vobis notae sint, videlicet valetudo aduersa, multi et varii labores ephorales, cert. non est, quod prolixam excusationem addam. Recipiatis hanc mei in uos tenerrimi amoris significationem, ea, ex qua prouenit, mente. Ite, rem vestram facite feliciter! valete, in Domino, qua corpus, animum, Ecclesiæ, Domus! iterum valete! certissimi de meis, pro vestra salute, precibus, quotidie ad Dominum fundendis. Dabam e museo d. XX. No-

uemb. M DCC LXI.

